OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS
16 8 '14
P. 795.

Jahresbericht

über

das Gymnasium zu Stendal

im Schuljahr

von Ostern 1839 bis Ostern 1840

verfaßt und herausgegeben

von dem

Gymnasial-Director Haacke.



Vorangeht

1. als wissenschaftliche Abhandlung: Quaestionum Horatianarum Partic. II.,
2. eine zur Feier des dritten Jubiläums der Einführung der Reformation in die Mark Brandenburg am 1sten November 1839 im Gymnasium gehaltene Rede.

Beides von dem Director.

Stendal,
gedruckt bei Franzen und Grosse.

P. 247
156

Quaestionum Horatianarum Partic. II.

Cum abhinc biennium Quaestionum Horatianarum Particulam primam his Annalibus scholasticis praemitterem, nondum editionis Orellianae prodierat volumen posterius, quo Satirae cum Epistolis continentur. Qua praestantissima editione plurimis locis vera scriptura et restituta est et a Criticorum dubitationibus defensa gravissimis argumentis. Itaque saepius factum est, ut de quibus locis nos in his Quaestionibus verba facturi eramus, eos ab Orellio iam sanatos satisque munitos offenderemus, e. g. Sat. I, 1, 108., ubi dudum censuimus scribendum esse cum aliquot codd. et vett. edd. *nemo ut avarus* pro eo, quod ab omnibus praeter Bothium vulgatum est *nemon ut avarus*, unde sana et toti argumentationis tenori apta sententia extricari nulla potest. Depravatam esse lectionem ad hiatum vitandum patet, quem etiam alibi Horatius admisit, non solum in vocabulis monosyllabis, ut Epod. 12, 25. Sat. I, 9, 38. II. 2, 28. II, 3, 137. Epist. I, 19, 21. et in nominibus propriis Od. II, 20, 13. Epod. 5, 100. 13, 3., sed etiam alibi, ut Od. I, 28, 24. „Ossibus et *capiti inhumato*.“ Stabilivit quidem eandem scripturam *nemo ut avarus*, ut ex Jahnii Annall. 1837. Fasc. I. p. 105 sq. video, etiam *Wissius* in Quaest. Horat. libello I., anno 1829 edito cum annalibus Gymnasii Rinteliani, ubi eam in duobus Vaticanis iisque antiquissimis et aliis nonnullis a se repertam esse affirmat. Sed ille vir doctissimus eam interpretandi loci rationem commentus est, quam equidem probare nequeo. Comparationem enim putat esse, cuius prius membrum contineri versibus 108—112, posterius versu 113, ut sententia sit: „quomodo nullus avarus sorte sua contentus sit cet., sic festinanti semper locupletior obstat.“ Mutat enim interpunctionem et pro puncto ponit semicolon post *laboret*. Quam loci expediendi rationem quo minus amplectar, vetant maxime coniunctivi *probet, laudet, tabescat, comparet, laboret*, qui, sive modestae affirmationis enuntiationem esse neque aliunde pendere statuis, parum apti sunt post accuratam rei expositionem, sive ex altero comparationis membro pendent, non congruunt sequenti indicativo v. 113. „locupletior *obstat*,“ cuius loco dicendum erat *obstare locupletiorem*. Ita autem non illud, quod probatum ibat poeta, nimirum neminem avarum se probare ac potius alios laudare, ex tota eius expositione eluceret, sed alia quaedam sententia secundaria in locum primariae, tamquam oblitteratae et extenuatae ipsa comparatione, substitueretur. Quare ista et interpunctio et interpretatio ferri nequit, et unice vera est ea explicatio, quam etiam Orellius probavit: „Iam redeo ad sententiam initio propositam, avarum neminem se probare et sua conditione contentum esse.“ Pro accusativo cum infinitivo poeta adhibuit

ut. Similiter Sat. I, 4, 115. „Nec vincet ratio hoc, tantundem *ut peccet* idemque.“ Sat. II, 1, 50. „*Ut,* quo quisque valet, suspectos terreat, *utque Imperet* hoc natura potens, sic collige mecum.“

Verum praetereamus eos locos, quibus Orellius iam veram lectionem contra virorum doctorum coniecturas gravissimis, ut assolet, argumentis stabilivit, et in iis tantum nostram qualemcumque operam collocemus, in quibus etiamnunc dubitandum aut ab Orellii ratione discedendum esse videatur. Id quoniam non una in satira compluribus locis, sed fere in difficilioribus tantum diversarum satirarum obtinet, ex secunda, tertia et quinta libri secundi satira deinceps ea liceat in medium afferre, de quibus aut ampliandum aut aliter statuendum esse nobis videatur.

Sat. II, 2, 29. 30.

Carne tamen quamvis distat nil hac magis illa,
Imparibus formis deceptum te patet. Esto.

Difficultatem loci nemo Heindorfio aptius exposuit aliorumque interpretum rationes recensuit. Cum nulla satis placeret, ad coniecturam confugiendum esse ratus scripsit: Carne tamen quamvis distat nihil hac *avis* illa, explicans: Dennoch, wiewohl sich jener Vogel (die entferntere gallina v. 24.) in Absicht des Fleisches von diesem (dem zuletzt erwähnten Pfau) gar nicht unterscheidet, um nichts schlechter ist. Nemo, quod sciam, eius sententiam secutus est. Sed simili ratione interpretatus est, ita tamen ut nullam litteram mutaret, vir doctus in Ephem. Jenens. a. 1827. No. 218. p. 273., qui pronuntiavit, vocabulum *magis* h. l. non esse adverbium, sed substantivum, allato Plinii loco H. N. 33, 11. „lances, quas antiqui *magidas* appellaverunt.“ Huic assensus est *Jahnius* (Ann. a. 1837. Fasc. I.), Wissii conatus improbans, quoniam semel verum inventum esset. Sed ecce Orellius rursus emendatione opus esse censuit atque e vestigiis suorum aliquot et aliorum librorum scripsit et interpunxit:

Carne tamen quamvis distat nil, hac magis illam
Imparibus formis deceptum te petere estó.

Quorum hanc sententiam esse dicit: „Quamvis quod ad carnem attinet pavo nihil distat a gallina, tamen esto (hoc tibi concedo) te externa pavonis pulchritudine deceptum magis petere huius carnem quam gallinae; sed illud profecto stultissimum est, si distinguere vis lupos eiusdem prorsus formae et coloris ex diversis tantum locis, ubi capti sunt.“

At primum minus convenit haec ratio verborum iuncturae et collocationi, de qua paullo inferius dicemus; tum tota disputandi ratio non permittit, ut *fieri* aliquid Ofellus concedat, sed potius *esse* ut demonstret. Nam cum supra dixerit: *vix tamen eripiam;* subsequentibus verbis v. 27. 28. argumentatur, cur non sit illud concedendum, v. 29. 30. autem subiungit, fieri tamen, quod homo sapiens et sibi constans non concesserit. *Esto* in transitu ad novum aliquod argumentum in hoc disputandi genere sollemne, ut Sat. II, 3, 65.

Integer est mentis Damasippi creditor? Esto.
Accipe quod numquam reddas mihi, si tibi dicam cet.

Epist. I, 17, 36 sq.

Non cuivis homini contingit adire Corinthum;
Sedit qui timuit ne non succederet. Esto.
Quid? qui pervenit, fecitne viriliter?

Nostro igitur loco *esto* tantundem valet, quantum Graecorum εἶεν, i. e. non amplius de hac re disputo, aliquantisper concedens et ad aliam rem me convertens, ubi nostrates dicere solent: Gut, wir wollen weiter hören; ich lasse es auf sich beruhen. Quod si consideramus, lectionem *petere*, ab Orellio receptam, probare non possumus, eamque ex Pryphyrionis scholio: „Carnem tamen magis quam illum petere non debes," ortum glossema arbitramur.

Sed ut nostram loci explicandi rationem, quae non multum discrepat ab ea, quam nuper *Frid. Jacobus* in Observatt. ad Taciti Hist. critt. Part. I. Lubecae 1839. p. 9. proposuit, tueamur, singula horum versuum verba et iunctura accuratius sunt examinanda. Itaque primum de ablativo *carne* quaerimus, sitne instrumenti au limitationis. Nobis quidem illud aptius videtur propter verborum statim subsequentium rationem. Nam cum *tamen* non possit pertinere ad *quamvis*, sed ad praecedentes interrogationes: „num vesceris illa pluma? cocto num adest honor idem?" referri necesse sit: ne *carne* quidem a pronomine sequenti sive *hac* sive *illa* seiungere licet, et virgula distinqui debet post *tamen;* nisi forte eam velis verborum structuram admittere, quae tali interpunctione notari possit: carne, tamen, quamvis distat nil; ut Sat. I, 5, 72. sunt qui interpungant: „sedulus hospes Paene, macros, arsit, dum turdos in igni." — *Quamvis* qui in *quam vis* resolvunt, ii quidem videant, quam lanquidam efficiant sententiam, vividis interrogationibus subiunctam, et praeterea reputent ea, quae statim dicentur de vocabulo *magis.* Quod quidem maxime offendit interpretes, adeo ut, quemadmodum supra memoravi, existeret, qui pro substantivo antiquo haberet. Equidem a me impetrare non potui, ut Horatium illo antiquo, obsoleto et ab omni usu illius aetatis remoto vocabulo usum esse putarem, quem numquam alibi ad prisca redire animadverterim. Sed isti rationi item obstant eadem, quae supra de vocis *tamen* collocatione monui. Sequitur igitur, ut *magis* nihil aliud esse possit, quam quod quilibet lector primo adspectu intelligit, adverbium. Hoc tamen alius aliter interpretatur, quia perperam verba construunt et interpungunt. Nam qui cum Bothio distinguunt post *tamen* et post *distat,* illi etsi adverbio *magis* suam vim tribuunt, tamen in eo errant, quod contra Ofelli mentem carnis utriusque discrimen statuunt; at qui *nihil magis distat* coniungunt, ii certe *magis* redundare concedunt, quod alius Graeco *οὐδέν τι μᾶλλον,* alius *οὐδὲν μᾶλλον διαφέρει* explicare conatur. Verum neutro opus est, dummodo verba recte distinguas. — Quod ad pronomina *hac* et *illa* attinet, prius haud dubium esse potest ad pavonis carnem pertinere, posterius ad gallinae. Nam *rara avis* v. 26. memorata

erat, et *pluma* atque *honor* v. 28. ad eundem pavonem spectant; gallinae autem v. 23. mentio iniecta erat. Neque cadit in hunc locum Jahnii excusatio horum pronominum transpositionis (vid. eum ad Epist. I, 17, 19.); nam pavoninae carnis species tamquam primaria Ofelli animo propius obversari debebat, quam gallinaceae.

Postquam sic singula verba examinavimus, liceat nobis nostram qualemcumque loci interpretandi rationem submittere. Ergo a vulgata codicum plerorumque scriptura non discedimus, post *tamen* et *nil* virgula interpungimus, in fine versus sive colon sive lineolam cum colo ponendam censemus, abruptae orationis vel potius ex praegressis supplendae indicem, in hunc modum:

Carne tamen, quamvis distat nil, hac magis illa —:
Imparibus formis deceptum te patet. Esto.
Unde datum sentis cet.

Sententia est: Non vesceris illa pluma splendoris plena; tamen carne pavonis, quamquam illa quidem nihil differt a gallinae carne, magis quam hac vesci cupis. Liceat. Verum unde scis cet. Non potest offendere abruptior dicendi ratio, cum supplementum ἀπὸ κοινοῦ faciendum satis pateat ex verbis praecedentibus, quae hic quodammodo repetuntur: Vix tamen eripiam, posito pavone *velis quin Hoc potius quam gallina tergere palatum.*

Verba *distat nil* simpliciter esse *nihil differt*, docere potest locus Sat. II, 3, 210. „stultitiane erret, *nihilum distabit*, an ira." Ablativum autem comparationis in *illa* concedent nobis et Horatio Grammatici, aliis nostri poetae Graecissantis exemplis convicti, ut Sat. I, 1, 96. „ita sordidus, ut *se* numquam *servo* melius vestiret." Sat. I, 10, 50sq. „At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem Plura quidem tollenda *relinquendis.*" Ibid. v. 54 sq. „Non ridet versus Enni gravitate minores, Cum de se loquitur, non ut *maiore reprensis.*" Sat. I, 6, 24. „Trahit constrictos gloria curru Non minus ignotos *generosis.*" Non vitavit in his poeta ambiguitatem*). Ausus adeo est dicere *alium sapiente bonoque* Epist. I, 16, 20. et *alius Lysippo* II, 1, 240.

Quod modo de hoc ablativorum comparationis usu ab aliis Latinis scriptoribus

---

*) *Jacobi* interpretatio ab hac mea eo tantum differt, quod sic interpungit: Carne tamen, quamvis distat nihil hac, magis illa —? sic explicans: „Praeceps indignantis Ofelli oratio postquam per cumulatas interrogationes sese effudit, antequam sententia, quam sponte quivis compleret, finita esset, media praeciditur, ut statim ad responsum et conclusionem festinet: Imparibus formis deceptum te patet." In qua interpretatione quid mecum conveniat, non est quod diserte demonstrem, sed potius, quod discrepat, arguere opus est. Pronomen *hac* igitur non debebat iungi cum *distat*, et quia sic supervacaneum, contra *magis* sine comparato nudum fuerit, et quod contra horum pronominum vim *hac* ad gallinam, *illa* ad pavonem pertineret. Ergo certe comma ante *hac* ponendum. Sed ne sic quidem interrogandi tota ratio placet. Placida satis, non admodum commota est senis Ofelli disputandi ratio, non indignantis aut Damasippi instar in proxima satira digladiantis, sed sedate docentis et adversarios coarguentis in hunc modum: „Pavone tamen magis quam gallina vis palatum tergere: *proinde* pulchriore te illius forma deceptum esse patet."

alieno dixi, id me admonet, ut etiam de aliis quibusdam eiusdem poetae propriis, quae a reliquorum optimae aetatis scriptorum usu recedunt, hoc loco quaedam adiiciam. Ita *quamvis* et h. l. et alibi non raro (vid. Od. I, 28, 11. III, 7, 25. 10, 13. Sat. I, 3, 129. II, 2, 41. ubi alii *quamquam* praeferunt) contra Ciceronis morem probabilioremque rationem cum indicativo construit. Item *donec*, ubi terminum significat, habes cum indicativo copulatum apud poetam nostrum Sat. I, 3, 103. 5, 21 sq. II, 2, 50., licet alibi subiunctivo utatur, ut Od. III, 5, 45. Sat. II, 1, 73. A. P. 155. Levius videatur, quod *cupidinem* semper masculino genere dicit, Od. II, 16, 15. III, 16, 39. 24, 51. IV, 13, 5. Sat. I, 1, 61. Epist. I, 1, 33. et quod *egere* plerumque cum genitivo iungit, Sat. I, 4, 118. Epist. I, 1, 102. 17, 22. semel cum ablativo Epist. I, 10, 11., denique quod comparativis pro *quam* subiungit *ac*. Sat. I, 1, 46. 10, 59 sp. „num rerum dura negaverit Versiculos natura *magis* factos et euntes *mollius*, *ac* si quis amet scripsisse ducentos." Sat. II, 3, 270. „nihilo *plus* explicet *ac* si insanire paret." Epod. 15, 5. „*Arctius atque* hedera procera adstringitur ilex, Lentis adhaerens brachiis." cf. Sat. II, 7, 96. Illud autem plerisque mirum atque adeo inauditum visum est, quod Sat. I, 1, 49 sq. scripsit: „vel dic, quid *referat* intra Naturae fines *viventi*, ingera centum au Mille aret." Quamquam etiam ibi vulgata lectio tenenda est, non *viventis*, non *conferat* cum quibusdam legendum. Locum Plauti Truc. 2, 4, 43. „*quoi rei* id te assimulare rettulit?" Orellius adhibuit. — Neque raro pro *ne* Horatius *non* cum coniunctivo usurpat. Sat. II, 5, 91. „ultro *non* etiam *sileas*, ad quem locum vide Heindorfii annotationem. cf. Epist. I, 18, 72. Od. I, 11, 2. II, 7, 19. 11, 4. Et adeo cum imperativo Od. I, 9, 16. Semel etiam *vereor ut* dixit pro *ne* Sat. I, 3, 120. „Nam, ut ferula caedas meritum maiora subire Verbera, non vereor." Quod etsi excusari quodam modo possit, tamen σολοικοφανές esse, negari nequit. Denique interrogandi particulas *si* et *an* cum indicativo iungit, ubi enuntiatum pendet ex alia enuntiatione. Epist. I, 7, 39. „Inspice, si *possum* donata reponere laetus." cf. Epist. I, 3, 30. Quod, ut alia huiusmodi, Comicorum usu probari potest.

Sat. II, 3, 69—73.

Scribe decem a Nerio; non est satis: adde Cicutae
Nodosi tabulas centum, mille adde catenas:
Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus.
Cum rapies in ius malis ridentem alienis,
Fiet aper, modo avis, modo saxum et, cum volet, arbor.

Heindorfius recte docuit, *scribe* referendum esse ad *tabulas*, i. e. syngraphas (Obligationem), quas a debitore scribendas curabat creditor; *a Nerio* autem *scribere* dici, quia fenerator, qualis erat Nerius, *dictabat* syngrapham (cf. v. 76) et multis clausulis vel cautionibus *(catenis)* debitorem alligabat. Sententia igitur est: „Etsi scribendas tibi a debitore decem tabulas a Nerio commodatas, acceptas s. quales a Nerio dictari solent debitoribus, curaveris illumque syngraphae plurimis cautionibus obstrinxeris; tamen ille te decipiet." Sed in sequentibus v. 72. verba *malis ridentem alienis* recentiores inter-

pretes speciosius quam verius explicare mihi videntur. Etsi enim plerique concedunt, ex Homerico loco Odyss. ύ, 345 sqq. (γναθμοῖσι γελοίων ἀλλοτρίοισιν) petitum hoc esse, tamen eam verborum vim, qua *invitus risus* significatur, a nostri loci sententia alienam esse existimantes in alia omnia discedunt. Et Gesnerus quidem: „Homerica, inquit, ratio quod ad verba, sed sensu plane alio. Hic debitor ridet *malis* s. genis creditoris, ut Galli dicunt, aux depens du creancier:" Orellius cum Heindorfio ita explicat: „Horatius diversam proverbio significationem tribuit: apud Homerum enim est: πρὸς βίαν, inviti et a dea coacti ridebant proci, dum animis maerent; quod non cadit in debitorem tam malitiosum ac veteratorem. Est igitur h. l. dictum, ut Senec. de clem. 1, 12. *incurrere in pericula iuvat et aliena anima abuti;* Consol. ad Helv. 3. *Veterani quamvis confossi patienter ac sine gemitu velut aliena corpora exsecari patiuntur:* quod praeivit Thucyd. 1, 70. τοῖς μὲν σώμασιν ἀλλοτριωτάτοις ὑπὲρ τῆς πόλεως χρῶνται: „„ita ridere, ac si quis ad ridendum uteretur bucca non sua, sed aliena,"" idque significat *effuse ridere.*" Goellerus denique ad Thucyd. 1, 70. Horatianum-locum sic explicari posse negat, cuius sententiam esse vult: *ita ridere, ut risus animadverti non possit,* scilicet *malis a risu alienis:* et Valerii Flacci verba VIII, 164. „alieno gaudia vultu semper erant" sic interpretatur: *vultu a gaudiis alieno.* Nam nostro loco non convenire, debitorem cogitare in risus sive cachinnos effusum, sed gaudia celantem, ut vultus risum non prodat.

Omnium horum interpretum hoc est commune, quod ab Homerici loci, quem fundum Horatiani esse concedunt, sententia Horatium recessisse putant. Illud non convenit inter eos, utrum effusum risum, an clandestinum poeta significarit. Ac si quaeris, utrum sententiae per se spectatae aptius videatur, Goellero accedere non dubites. Nimia enim videtur hyperbole, debitorem periclitantem et in ius raptum cachinnos tollentem fingi voluntarios, quem potius gaudia, spe fallendi iudices commota, celare studere putes, quamvis aegre celet et prodat invitus. Sed hoc ipsum *prodere risum invitum* in Goelleriana interpretatione neglectum est; quamobrem ea Horatianis verbis parum congruit. Horatium enim, ut non probabile est, Thucydidis locum supra allatum ante oculos habuisse, ita dubitari non potest, quin Homericum, ut saepe alias, imitatus sit atque hominem levem, callidum, fallacem finxerit, qui in ius raptus periculum ita adiret, ut spem iudicii fallendi et ex laqueis omnibus sese expediendi male tegeret, atque *invitus* et quasi aliena vi, non sua voluntate et libidine permotus in risum erumperet apertum. Ergo recte Lambinus adhibuisse mihi videtur illud Od. III, 11, 21. „Quin et Ixion Tityosque *vultu Risit invito.*" Nam quod dicunt, apud Homerum invitos et a dea coactos risisse procos, dum animis maererent, nimii mihi videntur in similitudine exigenda, non reputantes, Eustathium ad illum locum Homeri Odyss. ύ, 345. observare: Ἰστέον ὅτι τὸ γναθμοῖς γελᾶν ἀλλοτρίοις καὶ νῦν ἐπιπολάζει λέγεσθαι παροιμιακῶς. Neque verbis ἀλλοτρίοισι γναθμοῖσι apud Homerum indicatur *effusus* risus, sed ea vis inest in verbis ἄσβεστος γέλος.

Sat. II, 3, 208.

Qui species alias veri scelerisque tumultu
Permixtas capiet, commotus habebitur.

Paucorum librorum auctoritate Orellius recepit *alias veris*, constructionem *alias veri* Latinam esse negans, sic interpretatus: „species, φαντασίας, opiniones animo conceptas, Vorstellungen, alias a veris, falsas et confusas ea exagitatione mentis et conturbatione, quae oritur ex scelerum conscientia.“ Quam interpretationem etsi Bentleianae atque Heindorfianae a Jahnio probatae praeferendam censeo, tamen de emendandi necessitate adhuc dubito. Non enim necesse est iungere *alias veri*, sed recte cum Heindorfio genitivum veri ad species referes, *alias* autem absolute intelliges non „diversas inter se,“ sed diversas a vero, ergo *falsas*. Veritas enim cum una sit, una tantum propria eius species esse potest, alienae permultae. Stoicus supra v. 48 sqq.

Velut silvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit,
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit; unus utrique
Error, sed variis illudit partibus.

Brevius igitur poetam locutum esse puto, quod plenius sic diceres: *Qui veri species alias, atque unam illam sanam et rectam, et permixtas tumultu sceleris capiet, commotus habebitur.* Quae breviloquentia si quam habet obscuritatem, ea levatur statim adiectis verbis „scelerisque tumultu permixtas.“ Non autem cum Heindorfio iungenda esse verba sic: species veri scelerisque (i. e. iusti et iniusti) permixtas tumultu (sc. perturbationum), et verba statim sequentia „atque *stultitiane* erret, nihilum distabit, an *ira*“ docent, et ea, quibus haec tota disputationis pars consummatur v. 220 sq. „Ergo ubi *prava Stultitia*, hic summa est insania: qui sceleratus, Et furiosus erit.“ Cf. v. 278. „An commotae crimine mentis Absolves hominem et sceleris damnabis eundem, Ex more imponens *cognata vocabula* rebus?“

In eadem Satira v. 283. quamquam paeclare Heindorfius lectionem *quid tam magnum? addens* refellit, ea tamen alteri *quiddam magnum addens* a plurimis praelata est. Orellius, ne verba *quid tam magnum?* contra precantis mentem significarent: „Hoc profecto omnium maximum est beneficium ac difficillimum impetratu,“ Wagnerum secutus scripsit: *Quid? tam magnum? addens*, ut esset sententia: „Quid? num hoc est tam magnum donum?“ Et molestum illud *addens* sic defendit: „homo superstitiosus ipse paullisper dubitat, num hae preces exaudiri possint, sed semet ipse decipit *addendo*: profecto perexiguum hoc est donum.“ Nescio, quid alii sentiant; mihi certe non persuasit, ut tam artificiosam enodationem amplecterer. Nam quid cogit, ut verba *tam magnum* potius sic, ut Orellius, neque in contrariam sententiam, „quid? tam magnum beneficium sc. oro?“ accipiamus? Certe non minor haec est ambiguitas, quam obscuritas illa, quam in vulgata olim lectione *quiddam magnum* inesse dicunt. Ac si quis ex sequentibus verbis „dis etenim facile est“ illius sententiae praesidium petat, ei respon-

demus, illa verba, ut ista loci sententia constaret, statim aut verbo *addens*, aut interrogationi „tam magnum?“ subiungenda fuisse. Nunc quo loco sunt posita, molestam eiusdem sententiae continent iterationem, iam a Gesnero notatam hoc verissimo iudicio: „Non est nugax Flaccus.“ Quare equidem antiquo. Altera certe lectio non minore codicum fide nititur, neque tam obsura est, quam nonnullis visum. Notum iam ex Homero, precationibus addi solere vota. Hom. Il. δ', 100 sqq. 119 sqq. Statim ipse Horatius v. 288—292. Ergo *quiddam magnum addens* facile quemque de voto vel promisso adiecto interpretaturum esse, poeta sperare poterat. Certe non obscurius locutus est, quam v. 298. *totidem audiet*, ubi Heindorfium haesisse et de huius totius sermonis repetitione cogitasse mireris; cum subaudiendum sit *verba, nomina, convicia, probra,* veluti *insane, delire, furiose* alia.

Sat. II, 5, 59 sq.

O Laertiade, quidquid dicam, aut erit aut non:
Divinare etenim magnus mihi donat Apollo.

Haberfeldtii coniecturam „aut erit, aut non Divinare mihi magnus *donavit* Apollo“ certatim viri docti assensu suo comprobarunt; quam ingeniosam et sententiae accommodatam esse non nego, veruntamen non necessariam puto. Quod omni critica probabilitate destituta est, etiam Orellius eam reiecit. Is vero cum Schol. Cruq., qui ambiguitatem vaticiniorum hic irrideri dicit, facit quodammodo, salsissima dilogia usum poetam existimans. Quod mihi a persona ingenioque Tiresiae et eiusdem gravitate sermonis videtur abhorrere. Cum Turnebo igitur haec serio a Tiresia dicta arbitror, „sine figura et anfractu se locuturum id *quod erit aut non erit.*“ Quae sententia ut cum verbis Horatianis possit conciliari, non vereor; atque eiusmodi obscuram breviloquentiam Tiresiae personae aptam esse, nemo negaverit. Sic etiam Doeringius: „quicquid dicam futurum esse, id fiet; at quicquid dicam non futurum esse, id non fiet.“ Cuius interpretationis praesidium attulit Fr. Jacobsius (Verm. Schr. Vol. V. p. 401.) ex Xenophontis Anab. IV, 4, 15. *'Εντεῦθεν ἔπεμψαν τῆς νυκτὸς Δημοκράτην Τεμενίτην· οὗτος γὰρ ἐδόκει καὶ πρότερον πολλὰ ἤδη ἀληθεῦσαι τοιαῦτα, τὰ ὄντα τε ὡς ὄντα, καὶ τὰ μὴ ὄντα ὡς οὐκ ὄντα.* Sic nostro loco verbis *quicquid dicam* omnia comprehenduntur, quae Ulyxi responsurus est de rebus aut futuris aut non futuris, de quibus ille sciscitatus erat. Sententia igitur est: „Quandoquidem Apollo divinandi facultatem mihi tribuit, quodcumque dixero, id verum est, ergo aut eveniet, aut non eveniet, prout dixero, ut nullus dubitationi locus relinquatur. Nam Apollo futura omnia praevidet, et ea, quae fient, et ea, quae non fient. Monstrat igitur mihi ea, quae ex fato fient, ut futura, quae non fient, ut non futura. Eodem modo ego ea edo ac dissero.“ Cum ad Apollinis auctoritatem provocet, non potest non serio loqui, et irrisio vaticiniorum inepta esset, fiducia autem vatis maxime accommodata.

Epime-

Epimetri loco addamus brevem de loco Od. IV, 8, 17. disquisitionem. Bentleius hunc versum expunxit. Et sane non est ferendus. Cf. etiam Orellii Excursus illi carmini subiectus. Me vero non solum ea movent, quae de metrica versus ratione docti viri et de ieiuna sententia monuerunt, quippe in qua necessaria antithesis desideretur (nam fugae, minae reiectae, incendia non per se clarescunt, ut virum nobilitare possint, sed vel historiae luce vel carminum laudibus); sed etiam languidum illud, poetis non usitatum et metricae adeo rationi parum aptum pronomen *eius* v. 20., quod ubi praeter hunc locum occurrit Od. III, 11, 17—20. imprimis movit viros doctos, ut totam illam stropham eiicerent. Quorum ego iudicium minime improbo, neque leniorem medicinam huic nostro loco adhibendam puto. Mihi enim non ille unus versiculus 17. videtur expungendus, sed etiam praecedentia quaedam et subsequentia, quae minime congruunt *marmoribus notis incisis,*

„non celeres fugae
Reiectaeque retrorsum Hannibalis minae,
Non incendia Karthaginis impiae,
Eius, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit,“

totus hic, inquam, pannus abscindendus vel resuendus a praestantissimo carmine mihi videtur. Nam verba *clarius indicant* v. 21. si ad sola *marmora* referas, *per quae spiritus et vita redit bonis post mortem ducibus,* tum denum omnia apte cohaerent neque desideratur iusta ἀντίϑεσις. Itaque supposititia esse ista suspicor et conficta ab aliquo, qui Scipionis Africani maioris nomen, verbis *Calabrae Pierides* obscurius significari visum, accuratius et significantius indicari voluerit. Tales interpolationes, nullis codicum indiciis proditas, multo quidem pauciores, quam nonnulli Critici putant, Horatius traxit; sed simillima huic nostrae est, quam supra commemoravi III, 11, 17—20.

Quod autem Orellius ad legem de Asclepiadeis strophis a Meinekio inventam provocat, ut et versum 17. et versus 14. 15. 16. a Criticis nonnullis vexatos tueatur, et duos potius versus excidisse statuat, id quidem ego argumentum parum certum et minus adhuc exploratum esse puto, quam ut inde ullam coniecturam facere liceat. Neque ego quidem illud perspicio, quomodo poeta, id quod vult Orellius, in illis quos deperditos putat versiculis partim incendia illa ita definierit, ut certo rerum ordini minime repugnarint, partim modum indicarit, quo Scipionis res gestae aliter quam ab Ennio posteritati traditae minus clarae fuerint. Quam multa duobus versiculis! Vix crediderim hoc per se fieri potuisse. Deinde qua alia ratione Scipionis res, monumentis exceptis, memoriae prodi poterant, nisi historia, teste temporum? Historicam autem de rebus praeclare gestis expositionem poeta noster Calabris Musis non ita opposuerit, certe non postposuerit, quippe qui alibi pedestri rerum descriptioni suam laudem tribuat et Od. II, 12, 9—12. Maecenati scribat:

2

tuque pedestribus
Dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius ductaque per vias
Regum colla minacium.

Ad verba *clarius indicant* ut non quadrant *fugae* et *minae Hannibalis reiectae*; ita *marmora incisa notis publicis* optime quadrant; etiam tropaeum vel monumentum aliquod in fugae Hannibalis memoriam erectum et victoriae illius, qua minae illae repulsae sunt, quadraret. Tale quid h. l. ponendum erat versificatori illi sedulo nec satis acuto. Rursus si solum incendio exustae Carthaginis vastatum ac desertum vocabulo *incendia* significare idque minus quam Calabras Musas monstrare Scipionis virtutem affirmare voluit, vanus fuit.

Ceterum non vereor, ne quis, mea emendatione admissa, verba *Calabrae Pierides* nimis nude posita esse dicat et obscurius vel Scipionem Africanum maiorem vel universe omnium clarorum virorum virtutes indicari. Poetis hanc synecdochen imprimis placuisse, innumerabilia docent exempla, veluti Hadria, mare Creticum, Myrtoum, Icarium pro quolibet mari, Africus, Aquilo, Eurus, Notus pro ventis universe adhibentur. Ergo certum quendam poetam eumque prae ceteris nobilitatum omnium poetarum loco usurpare vel Musas ex eius patria nominare vere poeticum est.

